



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1618. usque ad annum 1620

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118847**

§. 96. Bucquoius leviter vulneratus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67326](#)

Sæc. XVII. opportunissimi præsidium conserta ma-  
A. C. 1620.nu dejicerent: Nec tamen incruenta  
 hæc Cæsareo - Boicis velitatio fuit, tru-  
 cido Ascanio Aquaviva & Scipione  
 Sersano, vulneratis quoque quibusdam,  
 paucis tamen, Ordinum Ductoribus,  
 ac gregariis militibus. Ast hostium  
 centuriis aliquot, non modo graviter  
 fauciis, sed & imperfectis grandior cla-  
 des erat, cæsis præcipue Theodoro Do-  
 navio Comite supremo Hollachianorum  
 Tribuno, & Anhaltini Principis Vexil-  
 lero, quem Crazius Equitum Tribu-  
 nus glande plumbea trajecit, ejusque  
 Vexillum auro contextum abstulit: ca-  
 ptus quoque cum aliis quibusdam Ba-  
 ro Teifelius. Tandem Bucquoiani post  
 duas a cæptis jam concursibus horas  
 advenerant, qui e finistro sylvæ latere  
 Bohemorum castra assiduis balistarum  
 ictibus tota nocte infestarunt, infausto  
 Marci Philippi Fuggeri Comitis fato,  
 cuius utrumque pedem excussa tor-  
 mento bellico pila a poplitibus avulsit.

## §. XCVI.

*Bucquoius leviter vulneratus.*

Tum ibidem commorati sunt Cæsareo-  
 Boici, qui commeatum ex Ba-  
 varia advehendum expectantes, cre-  
 bris velitationibus cum hoste con-  
 gressi

gressi frustra eum ad summæ rei di- Sæc. XVII.  
scrimen prælio tentandum elicere A. C. 1620.  
nitebantur, non sine ipsius Buc-  
quo periculo; postquam enim Boici  
hostem non sine clade a munito quo-  
dam Templo ejecerant, & Anhaltinos  
in suis munimentis, ipsamque Racko-  
nitiam urbem continuata tormentorum  
procella oppugnaverant, Bucquoius  
quoque die tertia Novembris noctu  
Hungarorum castra obruere parabat,  
irrito tamen successu; hi enim explo-  
rato hostis consilio stagni cujusdam  
aggerem interscindentes aquam om-  
nem in subjectos campos tam præci-  
piti impetu emiserunt, ut Bucquoiani  
nonnisi pectore tenus & poene collo  
per incerta vada natantes ad castra sua  
reverti cogerentur. Altera die velita-  
tione inter Cæsareos & Bohemos facta  
Bucquoius, dum suis auxiliatum prope-  
rat, leviter in summo femore vulnera-  
tur: demum vero Maximilianus, post-  
quam Launa Urbs ultro sese Cæsaris  
obsequio dederat, castrorum motionem  
recta Pragam versus ad quintam No-  
vembris diem indixit; Ergo a Boicis  
pariter & Bucquoianis Lithsahanam  
versus præstituta dié totis castris di-  
scessum: quo comperto Anhaltini reli-  
ctis castris suis Cæsareos non tam asse-  
quendi, quam præveniendi studio in-

Yy 4 sequun-



Sæc. XVII. sequuntur, ac densæ nebulæ beneficio  
A. C. 1620. totum Catholicorum exercitum, qui  
 ab eis nonnisi mille nongentorum pa-  
 suum intercapedine distabat, intacti at-  
 que inobservati pertranseunt, dolorem  
 tamen Cæsareorum ex elapsa prælia occa-  
 sione conceptum temperabant tri-  
 ginta currus omni commeatus castrren-  
 sis opulentia referti, quos nostri Bo-  
 hemis interempto Hungarico præsidio  
 eripuerunt, demum Straßio oppido de-  
 ditione capto, Maximilianus die septi-  
 ma Novembris triplicem hostilis Equi-  
 tatus turmam e colle, quem tenuer-  
 rant, immissa in eos Equitum peditum-  
 que expedita manu dejecit. simulque  
 ab eis, qui fugitivos insequebantur,  
 comperit, quod Anhaltini & Turrianii  
 exercitus pars instructa jam acie in-  
 late patente planicie eo fine subsisteret,  
 ut nostros Praga positis remoris inter-  
 cluderet vel avocaret; mox igitur Ma-  
 ximilianus hostem, ne rursus elabere-  
 tur, circumcludi jubet, simulque de  
 opportuna prælia occasione Bucquoium  
 monet, qui tamen plus serius, & re-  
 gressis jamjam in stationes suas hosti-  
 bus, Pragamque versus tendentibus  
 advenit.

§. XCVII.